



# EPINICIUM MOSIS

HISPANICE VERSUM, ASSERTIONIBUSQUE  
QUIBUSDAM ILLUSTRATUM,

QUAS

PRO VIRIBUS DEFENDERE, SIMULQUE SACRUM EXODI LIBRUM  
REPENTE IN HISPANUM SERMONEM VERTERE AD SE  
RECIPIUNT

CAROL. GONZALEZ ALVAREZ

ET

JOSEPH. MARCHENA.

IN REGIO ARCHIGYMNASIO MADRID.

AD DIEM *XVII* JULII ANN. MDCCLXXXIV.

*Mane hora 9<sup>a</sup>*  
PATRONO

THOM. FIRM. DE ARTETA.

MATRITI.

Apud IOACHIMUM IBARRA, S. C. R. M. Typogr.  
SUPERIORUM PERMISSU.





EPINICION MORIS

HISPANICE TERSUM, ASSERTIONIBUSQUE

QUIBUSDAM ILLUSTRATUM,

QUAE

PRO VIRIBUS DEFENDERE, SIMPLICI BACONI ERUDI LIBRUM  
REPERIT IN HISPANUM ILLUSTRATIONEM AD SE

RECIPIT

CAROL. GONZALEZ ALVAREZ

ET

JOSEPH. MARCHENA

IN REGIO ARCHIDUCIS DR. DRID

AD DIEM JULIAN

1788

PARISI

THOM. FIRM. DE TETA

MATRITI

Apud JOACHIMUM HANNA, S. C. R. M. Typog

SUPERIORUM ALVARO



## THOM. FIRM. DE ARTETA

## ASTANTIBUS.

**H**em vobis, auditores amplissimi, duo alios imberbes juvenes, qui eadem methodo, qua duobus abhinc annis sacrum Geneseos librum exposuerunt alii duo, Exodum hodierna luce, faventibus vobis interpretentur. Demirati autem sumus tunc, quin, & nimium, si Diis placet, acriter perfricuimus nostrorum hominum non modo socordiam, qua insuper habito majorum suorum exemplo, litteras hebraicas derisui habent, ac despectui; verum & multorum etiam temerarium ausum, qui nulla ullius disciplinae vera, ac solida scientia, nulla politioris litteraturae cognitione; sola latinae linguae intelligentia, & hac non multum accurata, sacrorum oraculorum aenigmata, & mysteria non solum intelligere, sed rudioribus etiam illa è suggestu aperire sibi praesumebant. Putabam tunc, stultus ego, plerosque eorum, qui in res divinas incumbunt, accuratius quam vulgo fieri solet, latinas litteras excolere, nonnullos autem etiam graecas; solasque adeo hebraeas, ah miseras! negligi prorsus, quamvis dignitate, necessitate, & usu ceteras omnes facile vincant. Nunc vero, ò tempora! ò sacra studia! infelicius multo, ac calamitosius esse nostrae litteraturae fatum pedibus, manibusque palpamus. Prodeunt siquidem, velut fungi, scioli quidam, qui nescio quo nostro magno malo perrecondita nostrae religionis oracula, absque ulla, nequidem hispanae linguae accurata cognitione, vertere, atque evulgare audeant. Quinque minimum vidimus Psalmorum transla-



tiones : ast , bone Deus ! quam languidas , quam pueriles , quam strigosas , quam inconcinnas , atque ineptas . Videretis vim Sancti Spiritus verbis afferri , lacerari sententias , & in alienos sensus detorqueri ; fieri denique quod in Virgilio , Plautove , non ferrent grammatici . Haec ego quum altius intropicio , cogitationique huic paulo penitius inhaereo , jure quodam suo exigere mihi videntur , cum sacrorum Bibliorum sanctitas , tum suavissimus hic patriae amor , ut unusquisque pro sua virili temerarios istorum hominum conatus frangat , atque debilitet . legent enim exteri ; legent posterii spurcissimas istas versiones , ac inveterato suo odio dicent : en quam jaceant in Hispania ; en quo devenerint litterae ! Sciant autem boni isti viri restare quamplurimos inter nos consummatae sapientiae viros , in quibus aestuet adhuc circum praecordia sanguis . Et quidnam ego dicam de intolerabili isthac , & prodigiosa verbi Dei violatione ? non hic jam de stellicidiis , aut de aqua pluvia arcenda ; non de praedicamentis , nihilitatibus , quidditatibusve agitur : arx , arx ipsa nostrae religionis , ac fidei profanorum hominum assaultibus objicitur . taceant igitur , quin & turpiter etiam , atque ignave contineant sese , quibus non tangit Atridas iste dolor . ego sane officia illa , quibus , ob regiam hanc hebraica volumina interpretandi dignitatem Deo , ecclesiae , academiae , patriae devinctus sum , prodere mihi viderer , si veteranis tyrunculus ipse classicum saltem non canerem militibus , ducesque ut praesto sint , non excitarem .

Constans igitur , nimiumque jam pervagata quorundam sententia est , insuper habitis veteribus illis de authographorum auctoritate quaestionibus , quae praeterito saeculo nimium acriter apud nos agitatae sunt ;



satis nobis, superque futurum, si hispana quaedam vulgatae editionis versio accuratissime concinnetur. Et ego quidem libenter fateor veteres illas similtates nullo praetextu esse recoquendas; sed tamen nego, & pernego quemquam mortalium, non dico laudabilem, verum ne tolerabilem quidem hispanam scripturarum versionem posse adornare, quin hebraeam, graecam, latinam, atque hispanam linguas probe calleat. Equidem de hebraea, & graeca neminem inficias iturum arbitror, si sciat archetypos sacrae scripturae libros duabus his linguis fuisse exaratos; magnamque habere vim ad mentem scriptorum facilius, pleniusque percipiendam linguae, qua liber scriptus est cognitionem. quod si quis gratis à nobis dictum putet, librum, vel historicum ex gallica in hispanam linguam, aut ex hispana in gallicam à perito utriusque interprete conversum, legat: multa quae in illo prius non intelligebat intelliget, alia, quae bene perceperat, melius, atque exactius percipiet. sunt namque quaedam verba certarum linguarum, quae in usum alterius linguae per interpretationem transire nequeunt. itaque magnos interdum viros torquent voculae, & locutiunculae, in quibus inesse recondita mysteria suspicantur, magnasque ideo excitant tragoedias, quas illius idiomatis tyrunculi levi injecto pulviculo sedarent.

Vera haec esse omnia ultro fatentur nostri de schola Theologi, si de utilitate sermo sit; ast si huiusmodi cognitionem necessariam omnino esse eis persuadere tentes, sibilo te excipient. Esto namque veterum, qui translati sunt, librorum fides de hebraicis, graecisque voluminibus examinanda sit, si Hieronymo, si Augustino, si veteri canonico juri, si recentium Pontificum decretis credimus; id ante Concilii Tri-

den-



dentini decreta obtinuisse, serio tibi respondent: quin magistraliter etiam & resolute docent hodiernum non esse jam amplius in sacrarum intelligentia scripturarum ad fontes hebraicum, & graecum recurrendum. artifices probos; qui, quod de utilitate linguae hebraeae ad scripturarum intelligentiam construunt una manu, inconsideratius altera destruunt. Verum demus, neque enim omnia, quae dici poterant hoc loco explicanda sunt; demus, inquam, latinam editionem ita esse authenticam, ut nullo praetextu in parte ulla sit rejicienda, & verum esse, quidquid à latino interprete versum; ipsumque adeo interpretem, si propheta non fuit, habuisse tamen spiritum quaendam propheticum vicinum & proximum. Scire profecto vellem ecquid consilii sint capturi extemporales isti interpretes in intelligendis, vertendisque tot idiotismis hebraicis, quibus scatet latina, non solum veteris testamenti versio, verum & novi, in qua, quamvis graece scripta, plures reperiuntur hebraismi, quam graecismi. Non me latet omnes hos idiotismos à viris quibusdam trium linguarum peritis feliciter fuisse explicatos; illud tamen asserere non dubitabo, ne has quidem explicationes posse quemquam intelligere, quin sacris hebraicis sit initiatus. Nec quamlibet cujuslibet, mihi credite, operam, non tyrunculorum, aut etiam mediocriter doctorum; sed summam eorum, qui primas in his litteris tenent, industriam requirit arduum hoc interpretationis opus. in hac autem cognitione primas tenere, quantae molis, quantae difficultatis, quanti denique taedii sit, atque laboris dixerint illi, qui radicum hebraicarum originationes accuratius rursari; analogiam, & linguae obscuriorem naturam, integrasque loquendi formulas coeli orientis proprias penitus callere velis, equisque con-

nan-



nantur. Nec ea tantum devoranda offella est ; restat adhuc alia , quae vel patientissimos in desperationem adducat. ecquisnam enim summa imis non misceat , quum viderit toto inter se coelo dissidentes significationes uno sub themate conjungi à lexicographis etiam praestantioribus ? Sumat quis in manus lexicon aliquod ; anquirat quid sibi velit verbum ללח : omnes hos significatus deprehendet : *perforari , perfodi , confodi , vulnerare , occidere ; tripudiare , saltare ; tibiis canere ; pollui , violari , commune facere ; incipere , ordiri , inchoare , irritum facere*. Quidnam , per Deum immortalem ! faciat , aut quo se tandem vertat studiosus hujus linguae in confusissima isthac significationum babylone ? et tamen in priori illa , quaecumque ea demum sit lingua , nomina , & etymologiae rerum ab ipsa natura depromptae proculdubio sunt , quin & omnium priora , & simplicia monossylabica forsitan fuerint. Quocirca in hac semper ego fui sententia , ut non nisi unam , propriam scilicet , & genuinam habere significationem verba hebraea existimarem. Quotiescumque igitur plures , aut diversas ejusdem vocis significationes feruntur , id semper pro certo habendum unam tantum propriam esse atque germanam , caeteras vero metaphoricis , vel ad quas per similitudinem quamdam , & linguae dilatationem extendatur prior. quod in ceteris etiam idiomatibus certum mihi videtur , quamvis non negem nomenclaturae rationem , quae in casu , & fortuito hominum arbitrio sita est , ignotam plerumque nobis esse , & obscuram. Omnes igitur hae significationes , in quibus ne umbella quidem affinitatis , apte sunt colligendae , unice primitivae notioni , tamquam capiti connectendae , ut reliquae , tametsi diversissimae , ab illa sponte sua fluant.

Nec



Nec hic consistendum interpreti hispano, sed quod nomen dein in nostra lingua illi respondeat, accurate est investigandum, & ad europaeos nostros, & metaphysicos loquendi modos antiquissimae, & naturalis linguae ratio, ipsa velut reluctante natura revocanda est; parvusque hic nimiumque restrictus cothurnus priscae orbis dominae erit aptandus. quod sane per quam difficillimum esse in tanta idearum orientalium ab nostris europaeis discrepantia, quivis facile agnoscet, & fatebitur. Praeterea orientalium harum locutionum, quas, cum genius erectior, & sublimis illarum gentium, tum peculiare linguae ingenium prosemnavit, nativa venustas, & lepos nullo pacto vel leviter adumbrari possit, sine magno orientalis eloquentiae apparatu, accuratiorique cognitione figurarum, in quibus perfervidi illi homines semper audacius sibi indulxerunt. quam eloquendi rationem, quum parum animadvertant, vel ignorent interpretes, exculpant nonnunquam aliquid, quod à veritate quidem non abhorreat, non tamen id sensisse auctorem deprehendit, cuicumque locutionis illud genus non fuerit ignotum. Hujus autem indagationis non leve profecto momentum est; absque hoc enim esset, innumera prope loca immensis adhuc tenebris forent obvoluta, vel perperam atque inepte translata. Quocirca mirum quantum imminuta est, impiorumque morionum scomatibus impetita sacrarum scripturarum auctoritas: labefactatur enim prorsus, capiteque minuitur divini verbi majestas, quum non dicam divino, sed humano multa indigna stilo deprehendantur, quae Deo tamen sacros scriptores alloquenti sint tribuenda.

Quum vero omnes novi testamenti libros graeca lingua primitus fuisse exaratos apud eruditiores jam  
in



in confesso sit ; haec etiam lingua ut hebraicae cum necessitate , tum utilitate proxime accedat necesse est ; quod ut penitus cognoscatur , paucis rem commonstrabo. Solet passim vulgatus interpres , genus , quod graeco nomini convenit , licet latino minime conveniat , in translatione retinere. solet etiam crebro graecos nominum casus contra latinae linguae analogiam usurpare ; sic genitivum pro ablativo more graecorum , apud quos comparativi regunt genitivos , saepissime transfert : qui mos vel ipsum D. Thomam nonnumquam perturbavit. ecquid igitur tu speres ab adscriptitiis istis interpretibus ? nonne oportet , ut aqua illis haeret ubique ? quid in illis B. Pauli verbis (1) : *post velamentum autem secundum tabernaculum , quod dicitur sancta sanctorum ; nisi graeca consultant , unde scient , amabo , num vox illa secundum ad velamentum , num ad tabernaculum sit referenda ?*

Duabus vero his linguis adjungenda etiam est accurata latini sermonis cognitio : nec enim illum ita didicisse sat est , ut vulgo fieri solet. Esto namque latinae hujus editionis verba , & locutiones interpretandae ut plurimum sint ex usu , & consuetudine scriptorum aeneae latinae linguae aetatis , vel potius ferreae , aut luteae ; sunt tamen quam plurima in ea quae aut reprehenduntur , vel evidentibus , & prodigiis solloecismis accensentur , quoniam latini sermonis vis , & potestas minime tenetur. Profecto vulgatus interpres tametsi planus , ac subrusticus nonnumquam videatur ; interdum , ita proprie ita eleganter quaedam exprimit , ut satis percipi non possit ab iis , qui linguae proprietatem , & amplitudinem ignoraverint. Nec accuratiori

b hac

(1) Epist. ad Hebr. cap. 9. v. 3.



hac cognitione multum saepe proficient. quam enim misere non se excrutiabunt? quam non sudabunt, & algent? & quod tandem monstrum, per Deum immortalem! nobis non effingant, dum ad illud pervenerint, nescivisse nempe Mosem faciem suam fuisse cornutam? Quid vero quum interpretes pro nomine proprio, quod est in hebraeo, ejus interpretationem, quasi nomen esset appellativum ponit, idque tum maxime quum ad vocis significationem alluditur? Quid? quum nomina hebraea difficilis, & obscurae interpretationis absque ulla interpretatione more suo relinquit, emollita tamen ad graecum vel latinum sonum, sed non in graeca, aut latina significatione? quid in his, quae homonyma dicuntur? sed quorsum attinet latius haec insectari? afferant mihi, si possint, quemquam, qui, quamvis perspicacissima mentis acie, quamvis totius latinae eruditionis suppellectile instructus, omnibusque veterum, qui hebraicas litteras ignorarunt patrum scriptis lectis, atque perlectis, explicet mihi illud Psalmi 67. vers. 3. *Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus dividere spolia*; & vinctas ego dabo manus.

Et quid ego de hispana nostra lingua dicam? equisnam est, qui in illa perdiscenda vel duos saltem menses perdiderit? ajunt nondum illam perfectionis culmem attigisse. taedet me vestrum, Garcilase, Legionensis, Mendoza, Mariana, Cervanti, cet. qui prae eruditulis nostris in vernacula vestra lingua perparum aut nihil sapuistis. hi suis versionibus inducto nescio quo muliebri, vel potius meretricio ornatu, vetustam illam suam majestatem, & orientalem grandiloquentiam tantum non extinxerunt: tu, mi Ludovice, pressis tuis, atque elegantissimis versionibus justam illi, & congruentem amplitudinem, majestatem, venustatem, & decus



inesse ostendisti. sed quorsum ego ista? non haec, non inquam, ad hujus aevi palatum. Vellem equidem latius hic spatium, adductisque quamplurimis exemplis contra fastidiosos quosdam nostratum hypercriticos ostendere, quam exteri sublimi nostro, atque sonoro sermoni ampullosae tumiditatis dicam inurunt, originis, nativaeque suae indolis esse virtutem & decus; quod ne hodierni quidem isti de illorum schola critici penitus corrumpere potuerunt. sed de iis alias. illud non praetereundum nullam ex linguis europaeis hebraicae proprius accedere quam nostram; in ea enim non solum voces, sed plurimae etiam formulae ab hebraeis mutuo acceptae apud vulgi homines, qui facilius, & tenacius, ut aetate Crassi, & Ciceronis mulieres, incorruptam antiquitatem conservant, hodieque usurpantur. Magna tamen cautione & diligentia opus est; quamplurimae namque voces, quae in latina et hebraea, aut arabica in primaeva, & originaria significatione usurpantur, apud nos saepe non nisi in translatis, & secundariis significationibus adhibentur.

Neque acuenda solum sacris interpretibus, procudendaque lingua est; sed pectus etiam maximarum, plurimarumque rerum varietate & copia onerandum, complendumque. Praeter istam ergo quam dixi quatuor harum linguarum cognitionem, eximia etiam rerum divinarum, humanarumque notitia necessaria est. nimirum majus est hoc quiddam quam homines opinantur, & pluribus ex artibus, studiisque collectum. requiritur enim historiae, cum judaicae, tum ethnicae perfecta cognitio. Et quid ego dicam de situ, habituque provinciarum, & urbium? quid de regionis historia naturali? quid de natura locorum, ac cujusque provinciae proprietatibus, quas tacite attingunt scriptores sacri praecipue



cum de hominibus illarum regionum sermo est? Huc nisi perpetuo animos advertamus, vix tuto licebit de sensuum decore, ac venustate judicare: fugient nos interdum vel clarissima, reconditae certe, & interiores elegantiae latebunt. Praeterea ex modo etiam loquendi difficilis admodum redditur sacrarum scripturarum interpretatio; metaphoris enim, allegoriis, catachresibus, antiphrasibus abundat, multaque symbolis involuta de industria proponit. Quid denique de sacra poësi hebraeorum loquar? quid de prophetica? quid de solloecismis, & barbarismis, quibus scatet hodiernus hebraeorum textus? quid de aliis mendis, quae librariorum negligentia irrepserunt in numeris annorum, ponderum, mensurarum, quae efficiunt ut quaedam tantum non fabulosa videantur? malim nihil quam pauca de hujusmodi rebus dicere, praesertim quum alia nos vocent.

Est namque aliud interpretum genus non minus molestum, quod nondum nos hinc abire sinat, auditores. tam enim miseruli sunt, ut, collatis latinis aliarum interpretationum reinterpreterationibus, ferte id, omnes, quae in vulgata suboriri possint, difficultates, & dubia dissipare se posse confidant. monstrum hoc quo nomine appellem certe non habeo: qui enim versiones tantum norunt, aliorum oculis vident, aliorum pedibus ambulant, aliorumque humeris comportati, & cum plebe in atrio collocati, è longinquo sacra contuentur. Denique nec convenit semper interpretibus inter se: crebro nec cum seipsis; ut iis, qui illarum ope hispanam versionem adornare tentent, inter variantes sententias passim fluctuandum sit. Quid? quod omnis isthaec utilitas percipi nullomodo possit, nisi ab iis qui hebraicas litteras probe norint. Nec tamen  
est



est cur ne ipsi quidem isti montes sibi aureos ex antiquis versionibus polliceantur. ut enim à vetustissima omnium, à septuaginta nempe virali translatione incipiam, apud omnes in confesso est, eam interpolatam, depravatam, & quam maxime vitiatam haberi: qui imperitiam, ait nonnemo, negligentiam singularem in legendo, & oscitantiam tantis viris indignam in ea editione non videt, nihil videt. Paraphrases Chaldaicae sensum solute & laxissime adumbrant, nugisque, & fabulis judaicis sunt refertae. Liceat mihi obiter unum e quamplurimis erratis in medium proferre, ut cognoscant hi interpretes quanta illae cautione, & cura sint evolvendae. Psalm. 61. à vers. 21. indicat dissimulanter caecus ille Joseph animas impiorum una cum corporibus interire; quod aperte dein docet R. David Kimji in illa Psalm. 1. verba: *quoniam non resurgent impii in iudicio.* cui impiae, & execrandae opinionationi quantum faveat nuperus iste majoris hebdomadis interpres, dum vertit (1) *por eso los impios no resucitarán en el juicio*; ipse viderit. absit enim, absit, ut de cujusdam ego orthodoxia, vel tantillum delibem, & fortasse ne fando quidem ille quidquam de istis Targumin. Aquila vero, ut ad propositum redeam, Symmachus, & Theodotion, quum judaizantes fuerint haeretici, multa Salvatoris mysteria subdola interpretatione celarunt. Arabs autem, & Ethiops interpres hac quidem in re perparum aut nihil habent momenti; fere enim semper LXX interpretum premunt vestigia. Syriaca tamen versio utilior esse possit, ex hebraeo enim textu, quem in plerisque locis perfecte exprimit, concinnata videtur, quamvis in quibusdam ad graecam etiam interpretationem proprius accedat.

(1) Pag. 380. lin. 18.



Infinitus profecto essem, si omnia, quae ad re-  
 ctam sacrarum litterarum translationem requiruntur,  
 minutatim persequi vellem. Quapropter specimen quod-  
 dam animadversionibus nonnullis illustratum inficetis  
 istis translatoribus ob oculos ponere decrevimus, ut  
 cognoscant aliquando opus esse periculosae plenum  
 aleae vernaculam sacrorum librorum versionem; quin  
 etiam ut id denique extra omnem jam dubitationis  
 aleam poneremus, ne inanis quidem sui ostentato-  
 ris notam subire detrectavimus. Fecimus autem pericu-  
 lum virium nostrarum in celeberrima illa Mosis ode  
 eucharistica post transitionem maris rubri. Carmen hoc  
 omnium, quod nunc extant est antiquissimum; vel  
 enim ipsas graecorum poëtarum fabulas longo inter-  
 vallo antecedit, & quantum vetustate, tantum etiam  
 sublimitate, & naturali, minimeque fucata elegancia  
 omnia illorum poëmata exuperat. Non nisi naturae  
 in eo, & affectuum, gaudii nempe, admirationis, amo-  
 ris, qua licet erumpentium, vox auditur. In eo au-  
 tem interpretando deseruimus veterem illam nostram  
 & solemnem de verbo ad verbum interpretandi me-  
 thodum. Tunc cum doctis tantum res nobis erat, &  
 grammatico praecipue, & expositivo, ut ajunt, exa-  
 mini, atque inquisitioni erat subserviendum. nunc cum  
 indoctis etiam, & rudiore vulgo. nihilo tamen secius,  
 quantum instituti ratio patitur, verbum verbo reddidi-  
 mus: nec enim aliter ingentis illius sublimitatis, qua  
 Moses exultationem, admirabilitatem, amorem abru-  
 pte, breviter, intercise, exultim exprimit, vel um-  
 bra retineri potuisset. Unde etiamsi natura mihi con-  
 cessisset, quod certe non concessit, os illud magna  
 sonaturum, divinioremque illam poëtarum mentem haut-  
 quaquam tamen illud ligata oratione vertissem. he-  
 braei




braei siquidem vates pleraque breviter, atque simpliciter enunciant, nullis adjunctis, quibus ne in prosa quidem utuntur oratione, exornata epithetis. affectibus illi praecipue subserviunt, & naturam, quocumque demum illa ferat, ultro sequuntur. caeteri uni in primis elocutioni animum intendunt, magnisque, ut plurimum ambagibus res exponunt, exquisitisque verborum phaleris exornant; utrumque ex linguae natura, atque ingenio. quare minime sperandum, ut musarum orientalium veneres digne exprimat ulla versio poëtica, quum vim, & incitationem hanc, praecipue vero hebraici sermonis brevitatem, nullomodo alia lingua imitari quisquam possit. unde, si dicendum quod res est, quo magis ab hac interpretandi ratione versio poëtica distat, eo mihi languidior, & nescio quid levitatis, & ornatus muliebris habere videtur. erunt fortasse hujusmodi versiones non nego, nec enim scio, erunt inquam musices rationi accommodatiores; semper tamen ego illas praetulerim, quae sive prosa, sive versa oratione fiant, verborum sunt tenacissimae, cujusmodi sunt incomparabiles illae viri clarissimi Ludovici Legionensis hispanicae versiones. Nec dubito huic nostrae sententiae, suffragaturos omnes quotquot laudati Legionensis Psalmi ex. causa 44. duas versiones conferant cum ea, quam paucis abhinc annis edidit vir sapientissimus Xav. Mattei. Erant adhuc quaedam heic sine ambitione monenda, quae si non veniam, excusationem saltem aliquam apud aequos rerum aestimatores nobis mererentur absdubio. verum adeo sum singulari, praesertim in hujuscemodi rebus ad invidiam & criminationem fato, ut vel ea etiam ipsa in pejus raperentur. Conscientia igitur bene de ecclesia, de patria, de academia merendi contentus; om-



ne iis, quorum proprius sum mancipio nexuque, odium, veteremque maledicentiam libenter condono; optimeque etiam mecum agi putabo, si faveant boni, cordatosque nostros, atque sapientes Theologos expergefecero. quod ò utinam faxit Deus omnipotens.





# HISPANA CANTICI MOSIS VERSIO

## Cap. xv. Ex.

Entonces cantó <sup>1</sup> Moises , y los hijos de Israel este <sup>2</sup> cántico , diciendo:

<sup>1</sup> Futurum cum adverbio *est* plerumque convertitur in praeteritum , aliquando tamen futuro etiam , quod futurum perseveret , jungitur : quod sensus , situs , habitusque mentis , quem sibi inducit scriptor , & linguae hujus propria quaedam natura , & indoles ostendent ; ridendi enim grammatici , qui ne suam ignorantiam profiteantur , graeco *enallages* vocabulo nobis fucum facere tentant , quasi nos bardis temere , atque inconsiderate fieri has mutationes credamus.

<sup>2</sup> Ad verbum *el cantico el este* , vel , ut hebraismum ipsa etiam originatione , ut ego quidem puto , magis redolet , *aqueste* ; quod & magnam habere epitasim , & divinam , auroque contra cariorem praeseferre mihi videtur simplicitatem , & candorem. haec vero emphasis naturae ipsius simplicitas , nativusque primaevae linguae character perire magnam sui partem mihi videtur , si *articulus nunquam praeponitur nominibus in quae verborum actiones transeunt* : quod miror obiter excidisse illustriss. viro Franc. Perezio Bayerio , quem honoris causa nomino , in de numis hebraeo-samarit. cap. 7. p. 167. falli tamen nos , omnemque grammaticorum turbam ostendet forsitan aliquando vir clarissimus , quod sane pervellem. Interpretati autem sumus etiam haec verba , ut luculentius appareat , ubi incipiat , desinatque hoc carmen , de cetero enim hebraicae poëtices formam,



*Cantaré<sup>3</sup> á Jehovah ;<sup>4</sup> ca<sup>5</sup> haciendo alarde<sup>6</sup> de su gran poder:  
Caballos , y cabalgadores arrojó á la mar.*

---

& rationem , quantum patitur indoles linguarum servare conati sumus. Eadem igitur , quam Hubigantius , & Kennicottus constituunt , in nostra hac versione est versuum divisio. Dein versus omnes , quoad fieri potest , aequalibus plerumque spatorum intervallis , insuper habita nostrorum ratione , distinximus , atque ita veluti in quadrum reduximus , ut saepe vocibus voces adnumeratae , ac pene syllabis syllabae pares respondeant. Poëtica siquidem hebraeorum compositio , maximam partem , constat in aequalitate , ac similitudine quadam , vel parallelismo membrorum cujusque periodi , ita ut duobus plerumque membris res rebus , verba verbis , quasi demensa sint , & paria.

<sup>3</sup> Septuaginta , Chaldaeus , Syrus , Arabs , & B. Hieronymus in plurali interpretantur. Num ex earum versionum scriptura corrigendus noster textus ? non putem. aliquando , non nego , nonnullam lucem cordatioribus criticis praeseferre possunt versiones : ast veritatem hebraicam illis conformem reddere perinde est ac solem ipsum ad horologium aptare. castiganda igitur est , & intra suos cancellos continenda Capelli , Hubigantii , aliorumque licentia , qui hebraicum textum ex versionibus istis , sine MSS. & quidem melioris notae auctoritate emendare audent. Textus Samarit. in omnibus editionibus & MSS. prodigioso hic solloecismo laborat ; in fine enim hujus dictionis habet *vav* pro *he*.

<sup>4</sup> Id est : *el que es* ; subsistens nempe suomet nisu , nutu , & pondere , quasi existentia necessaria , aeterna , & infinita : unde proprium est Dei nomen , quatenus nulli extra Deum competit. Septuaginta , Aquila , Symmachus , Theodotion V.<sup>a</sup> VI.<sup>a</sup> VII.<sup>a</sup> editiones , & B. Hieronymus semper interpretantur *Domnum* : gallicae quaedam versiones *l'eternel*. Judaei cum veteres , tum recentiores illi substituunt vocem *Adonai* ; nimia nescio qua religione ducti. nos ne vanis eorum superstitionibus temere assentiri videamur , & a recutitis istis , quantum fieri potest distinguamur , in nostris scholis semper efferendum ducimus ; in versionibus raro , & non nisi quum , si non retineas lan-



2. *Iehovah* ⁊ *es mi fortaleza*, y loor<sup>8</sup>;  
*El ha sido mi salvacion*<sup>9</sup>:  
*Este es mi Dios*, y le haré manida;  
*Es el Dios de mi padre*, y <sup>10</sup> ensalzarlo he.

languet sensus, veluti vers. 3. & 11. hujus hymni, & vers. 12. Psalm. 32. *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus*: quod, si veritas: *Beata gens, cujus est Iehova Deus ejus*, ingentem habebit emphasim. non quorum Dii sunt Moloch, Anubis, Astarot, Beelphegor, Baal, aut Osiris; sed quorum Deus est Iehovah, sunt beati. Unde nomen hoc in suis translationibus merito praeter Pagninum quamplurimi recentiores retinent. nam quum illud nulli creato convenire possit, permultum interest scire, quibus in locis illud adhibeatur. Porro Theologi quum observaverint Messiam in textu hebraico nomine non *Adonai*, sed *Iehovah* designari; cap. 23. v. 6. Jerem. ita Judaeos urgent ad agnoscendam Messiae divinitatem, ut intra septa conclusi illorum rabbiniculi, qui pleni profecto rimarum sunt, & hac atque illac facile perflunt, nullam rimam inveniant: quod ex nostris translationibus obtineri non potest. Nos autem in hoc cantico retinuimus ubique, ut hac repetitione omnibus innotescat, & memoriae mandetur; libereque deinceps, & tuto nostri interpretes ubicumque id sensus efflagitet, adhibere possint. Profecto si veram sacri hujus nominis pronuntiationem augurari liceat, nullam aptiorem judicamus quam eam, quae est futuri verbi יהוה id est *Iahaveh* vel *Iehi*, ita ut sit nomen proprium ad formam futuri deflexum, ut *Iangakobh*, *Iisjach*, *Iismanghel*. proferimus tamen illud, retenta anomala ista pronuntiatione, quam Petro Galatino tribuunt eruditi, eodem modo ac *Iacob*, *Issac*, *Ismaël*, ne ridiculae etymologorum quorundam affectationis jure arguamur. Ethnici *Iao* illud efferebant, vel potius *Iavo*; unde forsitan Iovis obliqui casus: certe Iovis, Iovem, à Iove non fuerint à Iupiter.

<sup>5</sup> Haec particula, sicut & latinorum quia venit absdubio ab hebraeorum ׀ qui idemque notat: si sit conjunctio, quod, quia, sed, at, quandiu, tamen, quinimo, si, propterea: si adverbium quando, certe, fortassis, sicut, num? si, pro nomen relati-



3. *Iehovah ha sido el hombre de la pelea:*  
*Iehovah , si , el mismo Iehovah.*<sup>11</sup>

---

vum *qui, quae, quod*. Sed si non antiquatis, antiquis saltem illa accensenda est, fateor: dabunt tamen veniam huic aliisque vocibus quicumque meminerint praecipuum esse sacri interpretis munus, ut referat speciem ipsam sacrae orationis hebraicae; ut lectores, quoad fieri possit, Deum scribentem legere sibi videantur, non interpretem: quod nusquam melius fit, quam si retineantur, non modo antiqua quaedam verba, sed veteres etiam scribendi formae; afferunt enim orationi majestatem aliquam non sine delectatione.

<sup>6</sup> Hebraeus: *superbiendo superbiuit*. Biblia Ferrariensis. *enaltecer se enalteció*. eandem phrasim de Deo creberrime adhibet Homerus, & proprie significat *soberbio de sí mismo*; quod quum de Deo aures nostrae non ferant, vertere voluimus *llesno de sí mismo*, sed quum nimis id vagum sit, Deique omnipotentia praecipuus sit hujus carminis scopus, hanc circuitionem praetulimus.

<sup>7</sup> Pro *Iehovah* est *Iaah*, quod probabilius est idem nomen ex illo contractum. Alii illud deducunt à radice *הא*, *pulchrum, decorum fuit, decuit*. nobis hac in re tenebrae adhuc, itaque silemus.

<sup>8</sup> Affixum *jod* restituit Hubigantius auctoritate Chaldaei, Arabis Erpen. & vulgati interpretis. Nobis religio est ab Hebraeis, & Samaritanis MSS. apud Kennikottum discedere, praesertim quum videamus quod, si pro *loor* substituatur *canto*, qua voce satius exponeretur hebraeum nomen, necessario adhibendum sit cum ob euphoniā, tum vitandae amphiboliae causa. Ecquisnam, amabo, certiores nos efficiat hujusmodi libertate, quam parum abfuit quin usurparemus, saepissime non fuisse usos interpretes? Quid? quod Septuaginta, Syrus & Arabs Polyglottorum sine affixo interpretantur. tres hi praeferendi ne erunt illis, an illi istis? dum Hubigantius, aliique critici litem hanc componant, potior nobis, & sanctior MSS. auctoritas; quin & absque urgenti, & praegnantissima necessitate textum corrigere religio semper erit.



4. *Quatreguas de Faraon , y su egército tiró á la mar:*

*Lo mas selecto de sus oficiales*<sup>12</sup> *se sumergió en el mar de Suph.*<sup>13</sup>

5. *Abismos de agua*<sup>14</sup> *los cubrieron:*

*Afondaron como piedra:*<sup>15</sup>

<sup>9</sup> Nova isthaec majoris hebdomadis versio : *y ha sido mi salud*. Apud nos *salud* non nisi pro *sanitate* , & *bona valetudine* , nequaquam vero pro *liberatione* , *ereptione* , vel *ope* usurpatur. ponderanda sunt verba , nec lexicis , quae has differentias plerumque omittunt temere fidendum.

<sup>10</sup> Vel ex hoc etiam , alteroque v. 13. exemplo luce meridiana clarius apparet errare toto coelo , qui tertiam conjugationum speciem , nempe *pihel* non extitisse antiquitus in lingua hebraea pantocritico nescio quo supercilio pronuntiant : quod qui volet in exedris brevi racione confirmatum videbit.

<sup>11</sup> Ad verbum : *Iehovah nomen ejus* : bellatoris nempe illius , qui nobis tacentibus , pro nobis pugnabit , uti praedictum cap. 14. v. 14. Repetit autem Moses Iehovae nomen , ut clarius Iehovam illum , qui eum miserat pro Israëlitis pugnasse , hostemque debellasse ostenderet. Nova versio : *omnipotente es su nombre*. aegre discernas num Deus appelletur omnipotens , num omnia possit ipsius nomen ; & tamen vitanda erat omnis obscuritas.

<sup>12</sup> Nova versio : *Capitanes* , deserit vulgatum interpretem , qui habet : *principes* : deserit gallicas versiones ; sequitur Bibliam Ferrar. Sed nulla harum vim nominis explicat ; nec in proclivi certe est ; quum hujusmodi dignitas non sit apud europaeos ; unde nomine generaliori uti maluimus.

<sup>13</sup> Aliis est nomen proprium , aliis appellativum , significans *algam* , *juncum*. Nomina autem propria initio appellativa fuisse lippis , & tonsoribus notum. Illud notius adhuc mare istud sinum esse Arabicum.

<sup>14</sup> Addidimus *de agua* : quia graeca haec vox graecis , latinis , hispanis ex etymi sui ratione profunditatem quamvis denotat. Hebraea vero תַּרְוּם , quam graeci , latini , hispani abyssum plerumque vertunt , proprie multitudinem aquarum significat ; quod hac additione indicare quodammodo voluimus : veriti  
nam-



6. *Tu drecha* <sup>16</sup> *Iaah*, se me ha hecho famosa <sup>17</sup> por la fortaleza;  
*Tu drecha*, *Iehovah*, ha derrotado al enemigo.

---

namque sumus, ne si substituissimus *pielagos*, quod ex hebraica sua originatione mire hic quadrat, crabrones irritaremus: in omnibus siquidem versionibus praeter veterem italam est vox abyssus.

<sup>15</sup> Nova versio: *como una piedra bajaron al profundo* additione *una*, languore verbi *bajar*, & profunda isthac ad sonitum vertendi methodo, à qua ne pilum recedat, *profundo* ponit pro *fondo*, nive alpina frigidior redditur oratio. vertisset saltem *en profundinas*, quomodo vocem *מצלות*, *metsolot*, *profunda vehementius aestuantia*, *gurgites aquarum* eleganter vertit Biblia Ferrar. Hebraicum verbum *יָרַד*, *jaredhu*, & latinum *descenderunt* numerosum quid, & grande sonat: unde mirus est in utraque lingua hujus versus concentus, & harmonia. contra *bajaron*, gradatim veluti descendisse indicare videtur; quin & praecipitem quoque orationis celeritatem frangit, atque delumbat.

<sup>16</sup> Moses postquam Ægyptiorum cladem vividissimis coloribus ob oculos posuit elegantissimam adhibet apostrophem. Pro *Iaah* in hebraeo est *Iehovah*; verum quum idem nomen sit, ut parallelismo poetico consuleremus unum pro altero substituimus hic & vers. 2.

<sup>17</sup> *נֶאֱדָרִי*, quibusdam est adjectivum femineum cum apocope *תֵּן*. Chaldaeis familiari: aliis *benoni* masculinum niph'al cum *jod* paragogico, vel potius antiqua vocali *e*. nos qui matres istas lectionis non agnoscimus, & paragogen hanc purum putum grammaticorum credimus commentum, quo ne nihil dicant, occurrunt saltem quaerentibus; *jod* istud ad affixi vim, & originem revocamus. ita tamen ut in latina lingua explicandum sit per dativum, in hispana vero per acusativum; qui accusativi tam creberrime apud nos adhibentur, ut nulli dubitemus hispanismis accensere hanc phrasim, quae ex hebraea lingua ad nostram manarunt. ridendi siquidem, qui hujusmodi affixa, & dativi cum *ל* lamed extra verbi regimen notare operationem utilitatis causa institutam, vel instituendam opi-



7. *Y en la muchedumbre de su enaltecimiento* <sup>18</sup>  
*Has derrocado á los que se levantan contra tí:* <sup>19</sup>  
*Lanzaste tu ira* <sup>20</sup> ; quemólos como coscoja.
- 

opinantur : phrasis est enim linguae , quae saepe curam , celeritatem , diligentiam , aut utilitatem illam indicet. magis tamen ridendi delicatuli nostri critici , qui pulcherrimam hanc , & nervosam locutionem , ut vulgi tantum hominibus propriam rejiciunt. Sed quid ego de Hubigantio dicam ? nullis ad dicentibus MSS. nullis versionibus , nullo loco parallelo , nulla obscuritate , nulla denique id suadente solloecismi , vel barbarismi specie ; quod pulcherrimum hunc hebraismum , simulque hispanismum non adverterit , legit יאררי vel תאררי : unde vertit *inclytum me fecit*. egregiam enimvero criticam : addere jam possimus corrigendorum hodierni hebraici codicis mendorum alteram regulam : ignoratio phrasium orientalium.

<sup>18</sup> Hebraea vox proprie significat *altivéz* , *altanería* , *fausto* , *elacion* , *soberbia*. quae nomina , quum nusquam in bonam partem sumantur , conflandum hic nobis erat nomen aliquod , quo mitius id ipsum diceremus ; *superioridad* enim , rem non satis exprimit : *ensalzamiento* passivi quid importat : maluimus igitur antiquatam hanc vocem e vetustis Judaeorum hispanorum versionibus , postliminii quodam jure in usum revocare.

<sup>19</sup> Ad verbum , *consurgentes tuos* ; contracte pro *consurgentes in te* : quae affigendi ratio communis est verbis intransitivis & passivis. Hoc commate duo sunt in hebraeo versus , quos duobus aliis hispanis , ut exprimeremus , nequaquam assequi potuimus ; & quonam id pacto assequi possit , si vel lingua nos deserat ? monosyllabicum רב *robh* , in nostra lingua reddi nequit nisi per *multitud* , *muchedumbre* , *magnitud* cet. alterum vero , קמך , *Kamecha* id totum importat : *los que se levantan contra tí*. licet imitatoribus ea , quae desperant posse apte describi , relinquere ; non interpretibus. quid ergo ? totum comma in tres versus divisimus.

<sup>20</sup> Divina mehercule prosopopoeia. agitabat abs dubio mente tunc Moses tempestates , tonitrua , fulgura , fulmina  
 ira-



8. *A un soplo tuyo* <sup>21</sup> *se comprimieron las aguas;*  
*Paráronse como monton los fluidos* <sup>22</sup> :  
*Abismos se quajaron en el corazon* <sup>23</sup> *del mar.*

---

iracunda. eventum vero, bone Deus! quam pulcherrime describit. Quantum hic pulchritudinis, sublimitatis, decoris; tantum in nova versione hispana turpitudinis, languoris, debilitatis: *embiaste tu ira, la qual los consumió como una paja.* utinam non recessisset ab usitata sua, & solemniter ad verbum vertendi ratione, nec frigidarium illud *una* addidisset: sed iterum, tertio, & semper utinam nullus ingrediatur, nisi geometra. Verbum hebraicum proprie significat mittere, sed in conjugatione pihel significatio semper est *intensiva*. quod loquendi genus latini etiam imitantur, & hispani. quonam autem pacto rogati explicabimus.

<sup>21</sup> Ad verbum: *en soplo de tus narices*: quam elegantissimam orientalium locutionem parum abfuit quin retinuerim. certe metaphoricam, quam dicunt significationem nolui retinere, nec vertere: *al soplo de tu furor: de un soplo de tu cólera, de tu ira*, cet. ecquid enim est spiritus hic irae sive furoris? contra, *á un soplo de tus narices* inexplicabilem quandam habet epitasim. verum in his multa cautio adhibenda, praesertim primis interpretibus. Praeterea in spiritu *narium tuarum*: ex vi verborum vertendum erat: *á un bufido tuyo*: *bufar* enim apud nos proprie est naribus flare in ira; Lud. Legionensis ad cap. 4. Jobi vers. 9. ast hodiernum nimis id foret sordidum.

<sup>22</sup> Nova versio: *paróse la corriente*. unda fluens non est *la corriente*. sensus est: fluida, quae natura sua stare nequeunt, vel minimo Dei nutu stitisse immota, ut solida. obsecro vos, vim, atque emphasis hujus sententiae assequutine fuissetis ex isthac versione?

<sup>23</sup> Vox hebraea significat *cor*: quod quum in medio prope modum animalis situm sit, medium indigitare ajunt grammatici. unde omnes, quos vidi interpretes, in medio maris vertunt. id primum: dein redundare; idemque hic esse in medio maris ac in mari serio pronunciant. suaveis homines. nos, omissis his



9. *Dixit el enemigo: <sup>24</sup> perseguiré, alcanzaré <sup>25</sup>,  
 Repartiré el despojo: henchirse há de ellos mi ansia <sup>26</sup>,  
 Desenvoynaré <sup>27</sup> mi espada, los exterminará mi diestra.*
10. *Soplaste; <sup>28</sup> de una alentada tuya los cubrió la mar:  
 Zambulléronse como plomo en hondas aguas.*

ambagibus, pulcherrimum hebraismum conservavimus, mirati quod Judaei hispani in suis versionibus non retinuerint; quum eadem metaphora ab hebraeis, vel si quis morosus intercedat ex arabibus mutuata, perquam creberrime usurpetur apud nos; veluti quum dicimus: *en el corazon del invierno, en el corazon del arbol* &c.

<sup>24</sup> In hebraeo deest pronomen; deest etiam in hispano: & profecto periret omnis lepos, & venustas; & tamen nova versio addit *los*, quo vehemens orationis impetus frangitur: adhibent etiam illud gallicae quaedam versiones. *at, at*, hoc illud est; hinc illae lacrumae.

<sup>25</sup> Nova versio: *los prenderé*. lictoribus ne, aut accensis istis virgatis, aut quorum, obsecro, magistratum apparitoribus? num clanculum, mi homo? papae!

<sup>26</sup> Nova versio: *mi alma se henchirá de ellos*. Davus sum non Oedipus. est quidem in hebraeo anima, sed metonymicos, pro appetitu, desiderio, cupidine. Egregium profecto asyndeton, prae quo sordet mihi celeberrimum illud Caesaris de victoria sua Pontica; *veni, vidi, vici*. pro tribus enim his sex orationes, uno veluti spiritu pronuntiare cogit. tanta praeterea est brevitatis, & tam mira structura, ut duo priores orationes duabus tantum syllabis constent; tertia vero quatuor, quarta sex, quinta quatuor, sexta denique sex syllabas habeat.

<sup>27</sup> Ex vi, & potestate verbi: *haré vaciar*, vel *desangrar mi espada*. evacuare se gladius dicitur orientalibus, quum multum sanguinis effudit.

<sup>28</sup> Dubitari nullomodo potest usu obtinuisse apud hebraeos, ut sacros hymnos alternis choris invicem cantarent; Mosemque, & Israëlitas odem hanc cecinisse, Maria cum mulieribus certis in locis versum intercalarem succinente. nonnulli certis quibusdam in locis hemistichium: *cantemus Domino*, inter-



11. Quién como tú entre los Dioses <sup>29</sup> Iehovah?

Quién como tú sublime en santidad,

Venerable en las loores, hacedor de maravillas?

12. Tendiste tu derecha : los tragó la <sup>30</sup> tierra.

calasse ; & ut sponte veluti sua reliqua fluat oratio , necessario intercalandum opinantur, loca haec quasi ipse modos fecerit , assignat celeberrimus Xaver. Mattei , substituto initio quorundam versuum epodo : *cantemus Domino.* eundem initio etiam hujus versus intercalat ; sed nihil hic inserendum ; divina enim illa thrasonici furoris , & minarum prosopopoeya properat mens , & quasi rapitur ad eventum , illumque tantum videre discupit. enervat igitur heic epos , debilitat , frangit omnem venustatem ; unde nec ipse vir doctissimus in sua itala versione illum retinet. Sed videte, quaeso , quam pulcherrima hic divinae potentiae idea oculis veluti subjiciatur ! fiat Deus ; & myriades nictu oculi funditus delet.

<sup>29</sup> Septuaginta , & antiqua itala versio vertunt : *in Diis.* Vulgatus interpres : *in fortibus* , quia  $\text{יהוה}$  significat : *fortis ; princeps, Deus* , & saepe nomina propria , quasi appellativa interpretatur. unde nova interpretibus quibusdam difficultas , & quidem nonnunquam insuperabilis : ut vers. 11. Ps. 87. ubi legitur : *nunquid mortuis facies mirabilia ? aut medici suscitabunt. & confitebuntur tibi ? pro aut gigantes resurgent* , quomodo vertit B. Hieronymus. Hoc autem nomen quibusdam idem esse videtur cum pronomine  $\text{יהוה}$  *el* : quia orientales quum de Deo loquuntur saepius pronomen istud adhibent. nos à radice  $\text{יהוה}$  arab. *jurejurando adstrinxit* illud deducimus ; quasi dicas *jurisjurandi praeses , vindex , & sancitor.* Illud certum perire omnem venustatem , nisi retineatur proprium Dei nomen , & vertatur : *in Diis.* Nec tamen ideo impie , vel potius stulte , & pueriliter concludendum cum Brolimbrokio , & Volterio Israëlitas polytheismum admississe , ut reliquas gentes ; hoc solo discrimine, quod suum Iehovam omnibus potiore crediderint. misseli homines , qui dum risum excutiant , vel in notissima logices principia impegisse nihili ducunt.



13. *Conducirás á merced* <sup>31</sup> *tuya este pueblo, que has redimido: Llevaráslo* <sup>32</sup> *paso á paso con tu poder á la* <sup>33</sup> *nava de tu santidad.*

<sup>30</sup> Legimus cum articulo ex Samarit. Pentateuchi / MSS. auctoritate. Terram autem deglutivisse eos ait poëta simili metaphora, qua Jonas c. 2. v. 7. dicit: *terrae vectes concluderunt me in aeternum.*

<sup>31</sup> Hubigantius vertit: *tu ductor es in misericordia tua populi tui, quem redemisti.* nec *vola*, nec vestigium hujus pronomini *tui* in textu hebraeo, quem ipse edidit, nec in MSS. à Kenicotto collatis. deerat forsan in apographorum omnium primo; adeoque emendandus textus, ne durius superbis, teretibusque criticorum horum auribus sonet hic versus.

<sup>32</sup> Verbum hebraicum in Kal. proprie significat: *primo haustu, potuve sitim sedare; sive potare libando.* hinc in pihel per vim transitivam *dare bibere, ministrare potum*; dein, *ducere pecus ad bibendum commode, ac leniter, ut pastor agit oves foetas: aquatum ducere gregem*: atque hinc denique per metaphoram *omnibus bonis recreatum, expletumque more pastorum fovere, curare, complecti.* Ingens igitur, & divina quaedam venustas, emphasis, & elegantia latet in hac oratione prophetica, quam nulla versio assequatur: periphrasi tamen illam explicare conabor: *largiflua, ac uberrima illa tua munificentia duxisti populum, quem redemisti; copiose rigatum, expletum, largisque haustibus exatiatum egisti potentia tua, ut pastor, ad amoenam sanctitatis tuae mansionem.* nempe praevidet Moses saxa in deserto fissa, fluentia è petris evocata, & amnium instar erumpentia, ut potus, veluti ex hydrophiliaciis subministretur: panem è coelo demissum, cet. cet. *Largus profecto Israëlitis ad meditandum campus.* quantus vero nobis, quibus post sacratissimas baptismi aquas carmen hoc dies, noctesque canendum & meditandum: sumus enim Dei benignitate, & potentia in pascuis suæ sanctitatis, ubi ceu oves pascimur verbo Dei, & sacramentis; donec devicta bestia illud canamus prope mare vitreum cum cantico agni.

<sup>33</sup> Retinuimus eandem vocem hebraeam נַיִם *naveh*, sive ut



14. Oirán<sup>34</sup> los pueblos, se consternarán:

Dolor asirá á los Palestinos.

15. Aterraráñse entonces los Príncipes de Idumea;

Adalides<sup>35</sup> de Moab; cogerálos temblor.

Quedarán yertos<sup>36</sup> todos los habitantes de Canaan

aliis locis scribitur *navah*, ut appareat quamplurima nomina hispana ex hebraicis defluxisse. significat autem *locum*, aut *mansionem amoenam*, *graminosam*, & *pascuam*, in quam quis *toto animo fertur*. unde recte apud nos, planities quaedam camporum, & pagi hoc nomine appellantur: ut *nava de Sevilla*; *nava del manzano*; *nava hermosa*; *naval peral* (pro *nava del peral*); *navas de Tolosa*; *navas de San Antonio*; cet.

<sup>34</sup> Hebraei omnes, & Samaritani cum MSS. tum editi codices, septuaginta Interpretes, Chaldaeus, Syrus, & Arabs constanter legunt *audierunt*. sic etiam habebat vetus itala versio; sic etiam legitur apud B. Augustinum, in Breviario Mozarabico pag. 222. edition. Ximenii; in Psalt. Sorbonico, cet. cet. solus Hieronymus *ascenderunt*. quid ergo? an incusabimus Hieronymum quod nec graecos codices, nec latinos fuerit sequutus? num ignorasse dicemus verbi significationem, quam vel triduanus tyrunculi sciant? num malè legisse? nec ipse opinor Amama, aut Cartwrightus hujusmodi inconsiderantiam tanto viro tribuerint. quid igitur? nos B. Hieronymum sapienter vertisse nulli dubitamus, librariorumque adeo id esse sphalma ex paleographia ostendere parati sumus. Nova versio: *se levantaron*. & hic, obsecro, indicate nobis ecquem sequitur? non Hebraeos, non Samaritan. non Graecos, non Latinos, non Chaldaeos, non Syros, non Arabas, non Hispanos, non Gallos suos. num lexica hispana? docuissent illum duplicem verbi *levantarse* significationem. num latina? cubitalibus litteris monent quam differant inter se *ascendere*, *surgere*, *rebellare*. num eos, qui in triviis vendunt olus? non crediderim tam peregrinam illis nativam loquelam. quos ergo? omittite jam nos; sequatur quoslibet, dum nos illum non sequamur modo.

<sup>35</sup> Affixum *in* pleonasticum esse censent nonnulli, rec-



16. Caerá sobre ellos gran<sup>37</sup> terror, y espanto;  
 A la pujanza<sup>38</sup> de tu brazo callarán<sup>39</sup> como piedra:  
 Hasta que pase tu pueblo, Jehovah;  
 Hasta que pase aqueste pueblo que te<sup>40</sup> has comprado.

teque ideo omissum à Septuaginta, & B. Hieronymo; sed non intellexerunt vim elegantis hebraismi, simulque hispanismi. duces Moab nominativum esse absolute positum innuit affatim accentus *Sakeph katon*: integram igitur periodum absolvit, & respondet latinorum locutioni: *quod me spectat, quod ad me attinet*; quae loquendi ratio trita etiam est apud hispanos; & nos illam servavimus, posito semicolo, cui respondet *Sakeph katon*, quod ex linguae analogia pinxerunt Masorethae.

<sup>36</sup> Verbum hebraicum proprie significat *liquefieri, diffui, dissolvi*; unde vertendum *desleiránse*: terrori enim subito, & consternationi tribuunt Orientales dissolutionem; Latini contra, *rigorem*. perquam optime igitur, ut solet B. Hieronymus vertit, *obriguerunt*: quoties namque aliquid ex orientalibus linguis in nostras europaeas sit vertendum, in primis oportet, ut inquisita prius naturali, & primaeva vocabulorum, aut phrasium originatione, istarum ideis nos accingamus; sin minus natus ille color, significantia, emphasis omnino peribunt.

<sup>37</sup> Nomen אמתה est cum duplici forma feminea ad auxesim indicandam.

<sup>38</sup> Imitari quodammodo voluimus vim, & emphasis formulae hebraicae, quae ex radicis significatione apud Arabas lacerati compacti, & torosi, qualis est athletarum, fortissimorumque bellatorum firmitudinem intortam, & robustiorem denotat.

<sup>39</sup> Multa hic interpretes, ut probent, *silere*, quod proprie significat verbum שם, nonnumquam idem est apud hebraeos, ac *non moveri, stare*. hispani, illis valere jussis, eleganti hispanismo, quem miror non animadvertisse nostros interpretes, omnem hebraicae orationis emphasis retinuimus. Nova versio, addito articulo *las*: *queden imobles como las piedras*: vel ipsam latinae orationis venerem difflat.



17. *Los traerás, y los plantarás en el monte de tu herencia; En el solio que te has hecho para tu residencia* <sup>41</sup>, *Iehovah: Santuario, Adonai*, <sup>42</sup> *que han preparado* <sup>43</sup> *tus manos.*

---

-<sup>40</sup> Hujusmodi accusativi huic verbo apud nos fere semper adduntur; qui quum ad reciproci rationem nullo modo referri queant, emphaticis illis hebraeorum dativis accensendi sunt absdubio.

-<sup>41</sup> Ad verbum: *para habitar tu*, vel, *para tu habitar*, aut, *habitacion*. nimium tamen id abjectum visum nobis est, & humile. hinc etiam pro *basi, sede, statione; praeparatione habitaculo*, quod vox hebraea significat, suffecimus *solio*. ad divinam enim hujus epinicii sublimitatem, quantum assequi datur adumbrandam, perquirendae omni studio, non solum voces splendidae, illustres, poëticae ab plebe submotae & quae hominibus elegantioribus in usu sint; sed cane pejus etiam, & angue fugiendae eae, quibus aliqua insit turpitudine, ad quam eorum animos, qui audiunt, trahet similitudo, vel homonimia. Nova versio: *que tu, Señor, has obrado*. hui! albine fluor? papae! & post morbi coctionem, & die critico? evax, evax, evax; medici, valete.

<sup>42</sup> Alterum è decem Dei nominibus, quod proprie sustentatorem significat. Est autem in forma plurativa, si judaeos audias, honoris, & dignitatis amplificandae gratia; si pios quosdam, & eruditos, ut mysterium sacrae triadis innuat. Porro sive jod finale in ea terminatio sit plurativa, quamvis infrequentior; sive affixum primae personae, bisyllabicos semper est efferenda: nempe cum jod, sive *i* consona, ut in voce hispana *hai*, quando est 3. pers. masc. praesentis, non cum vocali, ut in eadem voce *ai*, quando est adverbium loci; neque enim ulli sunt in utraque lingua diphthongi. Eo autem fidentius, lubentiusque istud etiam Dei nomen retinuimus, quod illud cascos nostros poetas, qui *trovadores* audiunt in usum adhibuisse videamus in collectione Joan. de Baena, cujus fragmenta quaedam edidit vir clariss. Joseph. Rodriguez de Castro. Car. Hubigantius vertit: *in sanctuario Domini mei*. nempe hi homines vel tunc hypercritico suo supercilio Masoram des-



18. *Iehovah reinará para siempre , y <sup>44</sup> aun mas.*

19. Porque vino <sup>45</sup> la caballería de Faraon con sus quatuor-  
guas , y cabalgadores á la mar ; y hizo volver Iehovah so-  
bre ellos las aguas del mar ; y los hijos de Israel anduvie-  
ron en seco por medio de la mar.

despiciunt , ac deserunt , quum ex ipso contextu luce meridiana  
clarius appareat cordate , & sapienter puncta supposuisse.

<sup>43</sup> Nova versio : *que han fortalecido tus manos.* Neque la-  
tini , neque hispani verbi vim & potestatem assequutus est. fir-  
mare est ab  $\epsilon^{\rho}\mu\alpha$  , *fulcrum* ; unde idem est ac *fulcire* ; his-  
panice *fundar* ; *establecer*. hispanorum vero *fortalecer* idem est  
ac *hacer fuerte* , *dar fuerza* , y *vigor*. procul , ò procul este  
profani.

<sup>44</sup> Textus hebraeus : *in aeternum , & ultra* : quasi dicat ; ipse  
tibi extrues templum , & tunc in ea sede quam firmabunt ma-  
nus tuae , regnavis in aeternum & ultra. quae loquendi ratio  
elegantissimam mediis fidiis habet epitasim ; quam concinne  
admodum , & tantum non verbo tenus expressisse mihi viden-  
tur hispani trita illa formula *por siempre jamas* , aut , *para  
siempre jamas*. quae formula , ut & id obiter moneam vitiata  
proculdubio est : ecquid enim affinitatis adverbio *semper* cum  
altero illo *numquam*? crediderim initio mutuata ab hebraeis  
formula dictum fuisse : *por siempre , y mas* , vel , *para siem-  
pre , y aun mas*.

<sup>45</sup> Vel parum in hebraitate subactis auribus tyrunculi , quam-  
vis oscitanter totum hoc comma perlegerint , agnoscent nul-  
lam hic carminis structuram , nullum parallelismum ; & tamen  
Xav. Mattei epinicii partem illud constituit , & quatuor can-  
tiunculis , quas Itali *ariettas* appellant , illud reddit : quin &  
gloriatur reperisse se , non quod pueri in faba ; nempe , addi-  
to epodo : *cantemus Domino* ; omnia esse plana. nos contra epi-  
phonemate illo : *Dominus regnavit in aeternum , & ultra* ;  
finire carmen ; istudque adeo comma cum priori conjungen-  
dum censemus ; quasi epinicium parenthesi fuerit conclusum.



18. Laborem vestrum parva mensura, et non iniquitate  
19. Torque vno in la caballera de Faron con sus quere-  
guas, y cabalgadores a la mar; y hizo volver a los  
die ellos las aguas del mar; y los hijos de Israel andu-  
ron en seco por medio de la mar.

despiciunt, ac deserunt, quam ex ipso contextu loci  
clarius apparet corpus, & capient panem suppositum.

14. Nova versio: que una fortissimo in manus. Neque la-  
tina, neque hebraica verbi vim & potestatem assequuntur est in-  
mare est ad asper, plurimum; unde idem est ac salire; his-  
panice fundus; estabiles, hispanorum vero fortissimus idem est  
ac mansuetus, mansuetus, & vigor, procul, o procul este  
procul este.

15. Taurus hebraeus: in artem, & vna; quasi dicit, ipse  
tibi exitus transiit, & tunc in ea sede quam firmavit ma-  
nus tuae, regnavis in eternum & ultra. Deae loquendi ratio  
elegantiissima modis fides habet epigram; poem concinne  
admodum, & tantum non verbo tenuis expressisse nisi videri-  
tur hebraica. ita illa formula, vna, vna, vna, vna  
siue vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna  
prohibito est: eodid, ab hebraeis, vna, vna, vna, vna, vna  
alio illo mansuetus est, vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna  
formula dicitur: vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna, vna

16. Vel parum in hebraico subactis subditis tunc, quon-  
iam oscitantur totum hoc comma perlegerim, & asserunt nol-  
lam hic caninis struendum, nullam paritellam, & tamen  
Xav. Marti episcopi pariter illud consilium, & postior can-  
tionalis, quas hebraice appellat, illud reddi: dum &  
gloriam asperis se, non quod fuerit in labia, neque, addi-  
to epodo: canentur Domini; omnia esse placet nos contra ep-  
phonemate illud: Dominus regnavit in artem, & vna;  
hinc carmen; istudque adeo comma cum priori conjungem-  
dum censimus; quasi epigrammaticum fuerit conclusum.